



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarum Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De distinctione trium personarum. A

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

ram summi boni simplicē dicimus: quia est pater in ea solus, aut filius in ea solus, aut spiritus sanctus in ea solus, aut quia est sola ista nominū Trin. siue substantia personarū, sicut Sabelliani putauerūt. Sed ideo simplex dicitur, quia est hoc quod habet: excepto quod relative quæque persona ad alteram dicitur, nec est ipsa. Nam utique pater habet filium, ad quē relative dicitur, nec tamen ipse est filius: & filius habet patrem, nec tamē ipse est pater. In quo vero ad semetipsum dicitur, non ad alterum, hoc est quod habet: sicut ad semetipsum dicitur unus habēdo vitam, & eadē vita est ipse. Propter hoc utique natura hæc dicitur simplex, quoniam non fit aliud habens, & aliud id quod habet, sicut in ceteris rebus est. Nō enim habens liquorem liquor est, nec corpus color, nec anima est sapiētia. Ecce quanta est identitas, quāta est unitas, immutabilitas, simplicitas, puritas diuinę substantiæ, iuxta infirmitatis nostrę valetudinē as signauimus.

DE DISTINCTIONE TRIVM
PERSONARVM.

DISTINCT. IX.

NVNC ad distinctionē trium personarum accedamus. Teneamus ergo, ut docet August. in li. de fide ad Petrum, patrem & filium & Spiritum sanctum vnum esse Deum naturaliter: nec tamen ipsum patrem esse, qui filius est, nec filium esse ipsum qui pater est, nec spiritum sanctum esse ipsum qui pater est, aut filius. Vna enim est essentia patris & filii & Sp. S. in qua non est aliud pater, aliud filius, aliud spiritus sanctus: quamuis personaliter alius sit pater, alius spiritus sanctus.

Hic de coeternitate filii cum patre.

GENITVS est enim à patre filius, & ideo alius, nec tamen ante fuit pater, quam filius: coeternæ enim sunt sibi tres personæ.

Argu.

*Aug. Cap. I.
207. j.*